REGULAE MONACHORUM (BASILIUS. COLUMBANUS. PORCARIUS. CASSIANUS. AUGUSTINUS. PS. MACHARIUS ETC.). ISIDORUS HISPALENSIS

1. Hälfte 12. Jh. Seite 48r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36553
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

CUM ACCEDITIS AD MENSAM donec inde surgatis quod **Ut accedentes a mensa cum silentio audiant lectionem** ·xiii·
vobis secundum consuetudinem legitur sine tumultu et contentionibus audite. Nec sole vobis fauces sumant cibum sed et aures esuriant dei verbum.

Ut dum infirmi aliter tractantur in victu infirmorum animum non offendant

QUI AUTEM INFIRMI sunt ex pristina consuetudine aliter tractantur in victu non debet aliis molestum esse nec iniustum videri quos facit alia consuetudo firmiores. Nec illos feliciores putent quia sumunt quod non sumunt ipsi. Sibi autem potius gratulentur quia valent quod non valent illi. ·xiiii·

Cum his qui ex delicatiori vita conversi sunt aliquid indulgetur ab aliis minime appetendum

SI EIS QUI VENERUNT ex moribus delicatioribus in monasterio aliquid alimentorum stramentorum operimentorum datur quod aliis fortioribus et ideo felicioribus non datur cogitare debent quibus non datur quantum de sua seculari vita illi ad istam descenderint quamvis usque ad aliorum qui sunt corpore firmiores frugalitatem pervenire nequiverint. Nec debent velle omnes quod paucos vident amplius non quia honorantur sed quia tolerantur accipere ne contingat detestanda perversitas ut in monasterio ubi quantum possunt fiunt divites laboriosi fiant pauperes delicati. ·xv·

Post egrotationem ut citius recreentur cunctos equali cura fovendos

SANE QUEMADMODUM egrotantes necesse habent minus accipere ne graventur ita et post egritudinem sic tractandi sunt ut citius recreentur et si de humillima seculi paupertate venerunt tamquam hoc illis contulerit recentior egritudo quod divitibus anterior consuetudo. ·xvi·

SED CUM VIRES PRISTINAS **Ut sanitate recepta unusquisque ad suum redeat opus** ·xvii·
reparaverint redeant ad feliciorem consuetudinem suam que famulos dei tanto amplius decet quanto minus indigent. Nec ibi eos teneat voluptas iam vegetos quo necessitas levaverat infirmos. Illi se existiment ditiores qui in sustentanda parcitate fuerint fortiores. Melius est enim minus egere quam plus habere.

Nullum habitum esse notabilem nec vestibus placendum sed moribus

NON SIT NOTABILIS habitus vester nec affectetis vestibus placere sed moribus. ·xviii·

In processu simul ambulandum simulque standum

QUANDO PROCEDITIS simul ambulate. Cum veneritis quo itis simul state. ·xviiii·

In omnibus motibus nichil fiendum quod quemquam offendat

IN INCESSU IN STATU in omnibus motibus vestris nichil fiat quod cuiusquam offendat aspectum sed quod vestram deceat sanctitatem. ·xx·

In nullam feminam oculi figendi

OCULI VESTRI et si iaciuntur in aliquam feminarum figantur in nullam. Neque enim ·xxi·